

(3)

EPITHALAMION.

IN HONOREM

CONIVGIJ, ERVDITIONE ET
HUMANITATE PRÆSTANTIS VIRI, D. GEOR-
gij Geonci, sponsi: Et honestissimæ pudicissimæq; Virginis Iudith, filiæ
clarissimi & reuerendi uiri, Domini francisci Mohini pastoris
Ecclesiæ Dei in szykzo, sponse: scriptum &
Viteberga missum

A

VALENTINO HELLOPOEO SZYKZAI
Anno Domini. M. D. LXVI.



VITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.
ANNO M. D. LXVI.

656

C. 656

REVERENDO DOMINO
FRANCISCO MOHINO VALEN-
timus Hellopus S. D.

Purimas nostræ, uenerande pastor,
Gratias Musæ referant oportet,
Munerum ut possint, minimam tuorum
Reddere partem.
Nec tibi quicq; mea mens negaret,
Si facultatem pateretur æquam,
Flatibus currens fragilis carina,
Nostra secundis.
Nunc tamen munus tibi quod pusillum,
Et tui tecum generi pudicis
Nuptijs, læti dabimus sereno
Suscite uultu,



DOMINO GEORGIO GEONCI-
NO, SPONSO, AMICO ET FRATRI CARIS-
simi Valentini Hellopus. S. D.

Φιλτάτζ ἀνδρὸς Θίλε δῶρα δέξαι,
σμικρὰ, τὰς μόχες, Θλόπτος ἡμῶν
Ευθὺ σημεῖον, χαρίεντα δύμα
σέο φερόμεν.

Γνωσόμην γάμοι Θίλιας Γεωργέ
ἡδονὴν ἄλλοις μερόπεοσι : ἀντάρ
τῆς ἐμδικού στο Θίλικε ἐλθωρ
οίδαμεν ἄμφω.
Τούνεκεν ισχὺ πέρι μάλα τῆλε στοῖο
ἐσμέν οἰκόντες ποταμὸς ρέεθρα
Αλείδος, ψυχή μετά, στο ἑταῖρε
ἥλιθερη φύμικη μεδέποντα στὸν ἀρχήν
ἅρτιχόρευτον.

Μαλαθακόν καλέντην θαλάμοιο κύρρη
ὅπερ τῆς γάμου ταφαμιλίον στὸ
ἄλλαβες, γηδῶ : μακάρ εἰ γωνικός
ἢ ὕκόμοιο.

Ἐι παρώμ ἀντός γενόμενη αδελφέ,
τῆς ἔαπέζηε στο γαμίκε Θιλοίνω
Δαῖτι, φωνῇ μα καλά μέτα δώκη
εἰλαπίνη τῇ.

Τηλόθερη ισχὺ γάλυκυρ ως ἄωτον,
Βλέψομεν ἄδοντες Θίλε ισχὺ ἔπειτα
ἔντυχης δηρόμ γαμετῆς Θίλημα
τερπόμενος κτός
ποτνίαμ καὶ σοὶ δεοῦσας ἄχοιτιμ
δῶκε, ισχὺ παῖδας ἀταλάφρονας δῶ,
καρπόμ εὐόρκη γάμω, ἐκ γωνικός
εὐπατερέας.

A 2 EPITHA.

EPITHALAMION.

Non Paridis furtum canimus, tædasq; Lacenæ
 Nec procul auctam Colchide Phasiadem,
 Nec quos Idalij mouit Regina calores,
 Qua duce Minois, Thesea, uirgo petit.
 Lege Dei sancta loquor connubia, Spurce
 Nil opus est isthic matre Cupido tua.
 Nil opus est etiam, quas tu torquete sagittas
 Improbe cumq; illis mixta uenena soles.
 Fœdera casta cano: detur Geoncine Georgi,
 Iudit ut in Thalamos Virgo pudica tuos.
 Tu modo qui quondam, præsentí numine, sponsum
 Iuuisti in Cana, Christe benigne ueni.
 Si uenias certa est isti benedictio mensæ,
 Hoc quoq; felix est te Duce coniugium.
 Et mea conuiujs, locero, sponsæq; uiroq;
 Aggreditur meritum Muſa referre decus.
 Audimur, Casti Dominus moderator amoris,
 Ad sacra coniugij festa uocatus adest.
 Vos age coniuuae dicitis aduertite nostris,
 Da quoq; te facilem docte Mohine mihi.
 Sed tu præcipue, cuius noua nupta secundis,
 Auspicio puros ducitur in Thalamos.
 Huc attende ramen: quamuis meditabere forsan,
 Plurima quæ melius postposuisse fuit.
 Quid metujs: non te Canones nec friuola Papæ,
 Fulmina coniugij lege uictare queunt.
 Iussa Dei sequeris, cuius uirtute creati
 Masculus & mulier prima, fuere pares.
 Forte roges: Pater omnipotens molimina dextræ
 Plurima condendo, fecerat artificis.
 Aspice seu fursum seu lumina uerte deorsum,
 Obliquasq; oculis contuare plagas.
 Quicquid habet cœlum, quicquid spumantibus undis
 AEquor alit, tellus pendula quicquid habet.

Deerat

Deerat adhuc magno, paruuus dominator, in orbe,
 Prodit homo, Mundus dicitur ille minor.
 Diues Adam felixq; fuit, quia sydera cœli
 Ipſi fulserunt, Tu quoq; Phœbe pater.
 Aera per uacuum cuius Philomela canoris
 Aures carminibus, garrula detinuit.
 Tunc quoq; mitis erat rapidorum sæua leonum
 Virtus, & Tygres nil nocuere truces.
 Quiq; sui serpens gestat maledicta reatus,
 Signa, ſinum potuit blandus inire uirum.
 Fertilis & uarijs animum paradifus alebat
 Fructibus, hinc quicquid concupiſſet erat.
 Omnia præbebant homini ſolaria. Verum
 Cui ſua narraret commoda nemo fuīt.
 Non bene mortales dulcis ſine reſte uolupras
 Afficit, utilitas partícipata valet.
 Nec leo Magnanimus, nec erat par Tygris Adamo
 Aut Elephas, uasta mole fit ille licet.
 Infima ſors horum eſt, ſocialia fœdera poſcunt
 AE quali iunctam conditione fidem.
 Os ſublime placet, uirtus rationis in illo
 Cogit in obsequium bruta ſubacta ſuum.
 Sic genitor Diues, caſu fit pauper eodem,
 Totius Princeps inclitus orbis eget.
 Nec mora, ſomnus adest, Domino mandante, ſoporus
 Sternitur in uiridi gramine uictus Adam.
 Mortis erat ſpecies, frater ſine uulnere lethi
 Cauſaq; uenturæ maxima lætitiae.
 Ecce uiri laterum, firmam patefecit utrinq;
 Compagem, dextra uiuificante, Deus.
 Detraxitq; parem, coſtarum ex ordine, nexum,
 Materies nitidæ uirginis ille fuit.
 Hunc ſubigens formam, dictu mirabile, fecit
 Fœmineam, qua non pulchrior ulla fuit.
 Euigila genitor ſomno curaq; ſepulte,
 Aspice Reginam ſumme Monarcha tuam.

A 3 Lumina

Lumina uix potuit pulso torquere sopore,
Hæsit amans Euæ Virginis in facie.
Iam similem sibi, iam cę parem, sociam cę honorum
Inuenit, uitæ præsidium cę suæ.
Et nullo monitore, suum de corpore corpus
Ossa cę de proprijs ossibus empta uocat.
Angelicæ, præeunte Deo, uenere cohortes
Fatidicum thalamo quæ cecinere melos.
Fœdere dixerunt concordi uiuite, uestra
Progenies mnndi sit numerosa plagis.
Annuit omnipotens, decreta cę legibus arctis
Fixit perpetuos inuiolata dies.
Quilibet ut propriæ contentus amore Maritæ
Exemplum casta sit pietate Dei.
Posthabito cę patris thalamo matris cę, sequatur
Firmiter uxor is fœdera quis cę suæ.
En tibi coniugij mysteria prima pudici
Eua, Deo, sequitur consociante uirum.
Tu quo cę (ne dubita) numen coelesti Georgi
Experiere tuis affore læticis.
Eua tibi tua adest, circumspice nam cę beatum
Te Deus hac faciet Virgine, crede mihi.
Exiguum uitæ spacium mortalibus ægris
Sorte datum est, vita spes meliore beat.
Ne tamen his steriles terris sine prole senectus
Occupet, aut uegetos, improba mors rapiat.
Coniugium inuentum est, hoc fœdere damna ruentis
Naturæ certa restituuntur ope.
Singula si pereant, nascantur singula rursus
AEternam speciem neq; ua ruina trahat.
Crescere nam mortale genus, regnator Olympi,
Et complere orbis pinguis rura iubet.
Sed non una dies, spaciova volumina terræ,
Nec complere orbem plurima lustra queunt.
Humani generis primordia parua fuerunt,
Non ut cœlitum copia spiritum.

Quippe

Quippe duo tantum numerosa stirpe nepotum,
Gaudent à prima conditione patres.
Primus Adam patrio regnauit nomine, primus
Coniugij uidit pignora læta sui
Corruit at post cę fœdo pro crimine, mundi
Progenies vndis, pessima, diluuij.
Noach coniugio gentem reparanit ademptam
Non iactu Pyrrhæ, Deucalion cę tuo.
Hinc est plena uirum tellus qua parrhasis arctos
Aut sol exoriens occiduus cę patet.
At si cessassent connubia, nulla nepotum
Posteritas, toto staret in orbe super.
Iam spoliata suo tellus cultore rigeret,
Squalida iam facies rebus ubiq; foret.
Cui sol occideret, uel cui Titonia coniunx
Surgeret Eois lutea, uecta bigis.
Poma tot Autuuni toto nascentia mundo
In cę mari pisces, graminibus cę feræ.
Deniq; quid referam, cœli terræ cę maris cę
Vtilitas demptis esset adempta uiris.
Barbaries tantum campis horreret apertis.
An credis dignas imperio esse feras?
An opifex, rerum fecit fastigia brutis?
An frustra mundi commoda stare putas?
Parua queror, periisse puta pietatis amorem
Et sanctæ fidum religionis opus.
Quis caneret laudes Domino, quis, cædo, uocaret
Diuinum precibus nomen ad auxilium?
Quis quæso cœli radiantia sydera cernens,
Discret artificis mox sapientis opus.
Omnipotente manu, seu quis cognosceret arctam
Compagem rerum, composuisse Deum.
Emicat indicium seu quod bonitatis in ipso,
Dum res conseruat, teste careret honor.
Quæcę stupent homines mysteria, quæcę phalanges
Angelicæ nasci Virgine posse Deum.

Nemo

Nemo uel sciret uel cognita laudibus æquis,
Eueheret, tantum penè lateret opus.
Militat & quæ nunc terris Ecclesia Christo,
(Sancta tryumphantis semina) nulla foret.
Ergo tantorum fuerit medicina malorum
Coniugium, cuius foedera sponse petis.
Millia multa virum, numerum comprehendere quorum
Non refert, isto nata fuere modo.
Tors sancti uixerat patres, uixerat prophetæ
Non nisi de casti foedera connubij.
Sic pater Abraham, coelo quot sydera fulgent
De Sara sobolem protulit innumeram.
Hinc solio Rex sublimis consedit eburneo
Dauides, sancto de genitore satus.
Et tua nupra uiro genitrix castissima Christe,
Intacta quamq[ue] virginitate fuit.
Quid faceres Geōncine sacrum magis? ecce maritus
Nunc cum sis posthac efficiere pater.
Solus eras, sed iam geminum concordia corpus
Comparibus iunget, candida, foederibus.
Sic uitare potes uenturæ damna senectæ
Rectius & uitæ consuluisse tuæ.
Nam quæ non alias, multos durasset in annos,
Continuo deinceps, uita tenore fluet.
Nec moriere tamen: quamquam uitalibus auris
Deficias, nato damna replente tuo.
Sit licet ille dies rerum ultima linea, uitæ
Nondum cessabunt sed tamen acta tuæ.
Tu siquidem moriens, Dominum laudare nequibus
In terris, pro te cultor at alter erit.
Hoc quoq[ue] Cecropius uidit solamen honesti,
Connubij summum, mente valente Plato.
Sunt uero obsceni, quorum monstrosa libido
In uetitos audet tuta uenire toros.
Sunt quibus ingenium Veneris damnoſa uoluptas
Sollicitat, tacitoq[ue] uritur igne uigor.

Sed

Sed melius nupsisse fuit: Connubia puras
Nam nullo fundunt impediente preces.
Et quis ad æterni castissima numina regis,
Audeat obscenas tollere, quæſo, manus:
Brachia uicta labant, cordis feruentibus intus
Æſtibus, & ſeipſo iudice quisq[ue] pauet.
Et nisi maturet quærat medicamina morbo
Pellitur ingrata spiritus æde ſacer.
Hoc pulso nihil est in toto corpore ſaluum,
Hoc pullo Satanas, hoſpes iniquus adeſt.
Hospite quo, nihil est niſi certæ mortis imago,
Agmina dehinc ſcelerum, noxia mille modis.
Hinc pœnæ iusto, Domini, comitantur atroces
Iudicio & ſera in posteritate manent.
Fœlix Iſaides uetito niſi pronus amori
Cefiſſet, fœlix hic miſer efficitur.
Gratior & quis erat Domino, quis amantior æqui
Clarior aut sancta quis pietate fuit?
Labitur ille tamen, ſegniq[ue] libidine uictus
Deperit in formæ damna uenusta nouæ.
Nec ſatis eſt miſero ſponsam rapuisse marito,
Vriam morti prodidit immeritæ.
Oblitusq[ue] Dei, regni pariterq[ue], ſuiq[ue]
Furtiuo attonitus torpet amore diu.
Donec eum Nathan, pœnæ grauitate, Prophetæ
Concitat, & iuſta lege ueterus abit.
Aspice Dauidi quæ longo tela malorum.
Ordine pro tanto conſit adulterio.
Filius Amnon amat, turpiq[ue] potitur amore
Caſta dolet læſa virginitate ſoror.
Ausus & Absalom ſeſe maculare cruore
Ammonis, in fratris uiscera ſæuus erat.
Iam caret ambobus genitor tristissimus, ille
Occubat, exilio funeris author abeft.
At maiora uide: Absalom reuocatus, iniquæ
Conſpirat patrium dirus in exitium,

B

Ille

*Muneris angli
coniugii*

Ille fugit, nudusq; palatia regia linquens,
Saxa per & montes errat ubiq; vagus.
Turpia quin etiam patitur conuitia Semei,
Proh dolor, & nati stupra nefanda sui.
Et cladem populi deflet, tristemq; ruinam
Absalom, quamvis ultio iusta fuit.
Vix demum potuit, tutam post mille labores
In fessis requiem rebus habere domi.
Sic exosa Deo est castae uiolatio uitæ,
Et punit poena sic grauiore, reos.
Nec parcit sanctis, etiam pro crimine sanctos.
Plectit, An ergo putas impius effugiet?
Quin exempla semel statuit crudelia iustæ
Iræ, perpetuo conspicienda Deus.
Diluvio genus humanum deleuit, & huius
Cladis inauditæ causa libido fuit.
Sic primogeniti Ruben priuatur honore
Dum patrios audet stultus inire toros.
Et Sodome missio perierunt coelitus igne
Pro Dina Sichem Virgine tora perit.
Quisquiliis ueluti gentem Cananeida, tellus
Euomuit, tua sunt talia dona Venus.
Consilio Bileam quantam Midianita stragem,
Iudeis sese prostituendo dedit.
Austri & Antiochus Stratonicen poscere patris
Vxorem, tandem poena secuta fuit.
Mnemonis incestus, ereptaq; foemina nato
Aspasia, interitum posteritatis habet.
Helluo ridentis Cleopatræ Antonius astu
Captus in exitium seq; suosq; trahit.
Diruta Troia iacet. Sed quis tot funera uerbis
Enumeret seu quas stupra dedere vices?
Aut mala Beniaminis Lañq; miserrima fata?
Pausaniæq; scelus Pausaniæq; necem?
Sic etiam pueros Dominus fortunat amores,
Posteritas casti, stat diuturna uiri.

Quid

et Cor. Virgil.

Quid prius AEgypto ualuit formosus Ioseph,
Nonne miser spreta conditione fuit?
Dum tamen obsistit Dominæ cogentis amor,
De seruo regimen fuscipit imperij.
Fœmineumq; decus, meruit, susanna pudoris,
Non dubiam, dubia morte, pudicitiam.
Tu quoq; seruasti iuuenilibus integer annis,
Syncera castam mente pudicitiam.
Hancq; cupis toto uitæ defendere cursu
Ut pia continuo uita tenore fluat.
Sic opus est, Sanctum, Christus, Geoncine piorum
Si caput est fieri talia membra decet.
Nostraq; perpetua cum Christo corpora uitæ
Participant, ergo sit procul omne nefas.
Iungere quin etiam scorto, de corpore membrum
Avulsum Christi, res miseranda foret.
Quis nescit geminos unam componere carnem?
Vna igitur moechus cum meretrice caro est.
Quicquid & illa tenet, Satanam, lernamq; malorum
AEqua sorte suo diuidet omne uiro.
Corpora verum etiam scelus hoc committitur intra
Cætera namq; alijs crimina, damna ferunt,
Spiritus incipio templum sibi corpore sanctus
Eligit, in spurcis non habitare potest.
Destruer hunc dominus templum quicunq; prophanat,
In quo sancta quies debita spiritui est.
Nosq; sibi seruire Deus, ceu sanguine nati
Postulat, ereptos mortis ab imperio.
Sed nemo huic Domino poterit, mihi crede, placere
Sit nisi sincerum corpus & ingenium.
Talia dum tecum meditaris doce Georgi
Coniunx de casto coelibe castus eris.
Iam sociam tibi perpetuae per tempora uitæ,
Accipies, socia coniuge diues eris.
Haec tibi fida comes, rebus solamen in ægris
Quam nisi mors à te nil prohibere potest.

B 2

Compar

Compar coniugium est, conniūæ cernitis ambos
O uos felices nostra Thalia uocat.
Te primum Goncine uoco, dilecte beatum
In thalamos cuius talis amica datur.
Nec de plebe tibi est coniunx electa Georgi,
Sed quæ majorum nomine clara uiget,
Seu spectes cari meritos, genitoris honores
Castaq; dicatur qua pietate parens.
Dignior haud alia est lectis Geoncine pudicis,
Est aliquid iustus namq; parentis honos.
Hanc genuit summa celebris pietate Mohinus
Qui lætis sumpsit te generum auspicis.
Ille Dei præco, multis inclaruit oris,
Dum uerbo Christi, pascit ouile pium.
Hanc genitrix Agathe tam re quam nomine, partu
Ediderat stabilis pignus amicitiae.
Mox ubi nata fuit Iudith dixere parentes
Omina nominibus credis abesse suis.
Illa quidem casto, veneranda pudore, Tyrannum
Occidens, populo læta trophæa tulit.
Mactauitq; ducem mulier laudanda superbum,
Fœmina pestiferum sustulit vna caput.
Si tua non poterit fuso gaudere cruento
Iudith & hostiles non superare manus:
At certè proprias imitabitur illius artes
Virtutes, sexum quæ decuere suum.
Non dubia est sanctæ sapientia cœlica Iudith
Hæc quoq; scit Dominum (est quod sapientis opus)
Illa decus castum, summo conamine texit
Non minor est isti, cura pudicitiae.
Scilicet ingenio cuius, natura parentum
Hælit, ab his castæ semina mentis habet.
Cuius & à teneris, lactens infantia, cunis
Affuetæ statim discere recta fuit.
Ipse pater scitè docuit fundamina morum,
Et ueræ sanctas religionis opes.

Sed

Sed disciplina genitrix instruxit honesta,
Ingenij mira dexteritate domi.
Vix melius famulas rexit Lucretia castas
Cederet huic uiuens Hectoris Andromache.
Tam sancta natas Agathe formauit ab arte,
Ipsa ἄγαδη plures efficit esse ἄγαδας.
At quid opus uerbis: uideas uestigia recti
Ingenij sponsam si tueare tuam.
Moribus est placidis, taciturno pectore, uerax
Ingenio mitis, docta sedere domi.
Sobria, nec risus captans, Vrbana procaces
Prompta sequi fusis, stamina, lanificis.
Nec leue munus habes sponsa Goncine reperta,
Cuius naturæ præmia tanta patent.
Index est animi, species formosa, latentis
Nam pulchro uirtus, corpore, pulchra uenit.
Hanc non immerito placuit de mille pueris
Ad thalami fœdus consociare tui.
Qua tecum uiuente forisq; domiq; beatus,
Tranquillos duces dum moriare dies,
Pectore, ne dubita, toto recreaberis, huius
Sincero fidei fretus amore sacræ.
Siue aderis præsens lætabere, siue peregrè
Digrederis, custos illa relicta domi est.
Gaudens aspicies saluos, redditure penates
Nullus erit cur tu fortè querare locus,
Si tibi successus, dederit fortuna, secundos
Hæc quoq; lætitiae, pars erit una, tuæ,
Si patiare aliquid: quoniam mortalia pendent
Omnia, nec stabili cardine, fixa manent.
Hæc pariter casus tecum miserabitur ægros
Sic pars de toto magna doloris abit.
Tu sacris solers studijs, rebusq; uacabis
Officij, curam diriget illa domus.
Illa tibi condire cibos, & fercula nouit
Te modò quæ placeant dicere non pingeat.

B 3 Ac

Ac quamque stulti lacerant connubia probris
Sunt etiam multi qui docuere uiri.
, Semper habet lites, alternaque iurgia lectus
, In quo nupta facit minimum dormitur in illo.
Parua tamen lis est, sunt o*sunt iurgia tanti*
Regnat cuniugo pax benedicta sacro.
Fœdera nonne etiam Christi (& quis amantior illo)
Nobiscum, sponsi monstrat amore Deus?
Iurgia sunt ne pijs cum Christo? nulla profecto,
Et tibi connubio iurgia, credis, erunt?
Omnes vincit amor lites, discordia certe.
Nec quinquam stygijs pulsa senescet, aquis.
Tu quoque nunquid habes laeti formosa puella?
Nec tibi nubenti sors inimica fuit.
Iudicio quoniam docti genitoris acuto,
Est tuus è multis, optimus iste, procis.
Si modo spectetur probitas, pretiosaque uirtus
Quascue dabit docto pectore mentis opes.
Vix alium, reperire fuit, quem prouida Pallas,
Moribus, & pariter iuuerit arte, uirum.
Candor inest animo, lingua est bene consona menti,
Concors, ingenuo pectore, pacis amor.
Sed cur plura loquor? quis enim discernere possit
Virtutem melius patre puella tuo?
Ille uirum longa quia consuetudine fouit,
Dum sua ter phoebus signa per alta redit,
Tempore nec quicquam tanto culpabile uidit,
Sic probitas similis stat generosa sibi.
At scelus, & factio uitium quod corde repostum est
Vix uno poterit rite latere die.
Felix ergo potes iudit formosa uocari,
Copula cui tali stat stabilita uiro.
AEtas nonne etiam tenero iuuenilis amor?
Seruiet: amborum laeta iuuenta uiget.
Conuenre senes senibus, noua nulla uetus,
Disparibus uehitur non bene Rheda iugis.

Hunc

Hunc age tu deinceps, matrem & cum patre maritum
Suspice diuino munere Virgo datum.
Quid fugias, uel agas, monitis te scire parentum
Credimus, obsequio sis modo prompta tuo.
Aut etiam quod maius habes exempla parentum
Regula uitæ, sint officiosa tibi.
Prosequitur quali, mater ueneranda maritum
Pectore, si sapias tu quoque fac simile.
Sint procul à uestro fastidia amore superba.
Praua similitatis sint procul, indicia.
Qualiter Abraiden sincero corde Rebecca
Diligit, Abraide sic quoque Sara patrem.
Stet sine fraude fides, quæ uos coniunxit; Ioseph
Exemplum & pariter sancta Susanna dabunt.
Nubila seu fuerint, seu tempora fortè serena.
AEqua sit in quavis conditione, fides.
Quicue uiget, donec supereft fortuna uicissim,
Languidior, tristi tempore non sit amor.
Rachel Iacobum, sequitur dilecta, maritum,
Quamuis à patrijs exul abiret agris.
Imperioque uiri, prudens parere memento,
Et Dominum dixit Sara uenusta uirum:
Tu quoque sponse tamen, ne sis morosus oportet,
Subiectis pietas parcere grata Deo est.
Ipsa tibi supplex festa discessit ab ara,
Omnia supplicibus iura nocere uetant.
Non caput illa quidem est, tibi nec dominabitur unque
Sed neque pes, quoniam non leue mancipium est.
Costa sed est laterum, medio de corpore sumpta.
Sit pedibus maior, sed capite inferior.
Audiat, & iussis nunque parere recuset
Illa tuis: uerum sit socia imperij.
Quin aliquos etiam næuos donate uicissim
Blandus ab obsequio nam retinetur amor.
Desino, quid frustra uobis prudentibus ista
Commemoro: uobis hæc meditata puto

Tu

Tu uigili siquidem discis monumenta labore
Sacra, parens Iudith te tuus erudiſt.
Interea famuli dapibus conuiuia lætis
Instruite & mensis dulcia musta date.
Iam mea cessabit lyra, iamqe thalia filebit,
Si dabimus primum uota precesqe Deo.
Audiat omnipotens, nati pietate misertus
Humani generis, uota precesqe pias,
Et nunc sancte tibi sint hæc connubia curæ,
Quæ sunt legitimo foedere pacta, Deus.
Fac, pietas & sancta fides sine Dæmonis astu,
Regnet in amborum mutua pectoribus.
Tu steriles aliâs, numeroſa prole beatos
Efficis, affer opem nunc quoqe coniugibus.
Vt uideant fructus sancti pater alme Hymenæi,
Vt uideant thalamí pignora cara sui.
Palmitibus foecunda uelut turgescere uitis,
AEstas cum rediſt puluerulenta, solet.
Sic sposo sponsæqe nouæ, uenientibus annis
Affideat sibolis magna corona suæ.
Qui probitate patres referant, qui numen adorent
Christe tuum, qui sint gloria lausqe patris.
Hos, si tu senior uideas Franciscæ, nepotes,
Nonne Deo grates tempus in omne dabis?
Sic ubi dilecto, fueris satiatus, amore
Grandæuus terræ membra tegenda dabis.
Et tua quæ tecum paribus, Matrona diebus
Confessuit, uiso læta nepote cadet.
Viue diu Geoncine precor cum Virgine sponsa,
Viuite conuiuæ, candide uiue ficer.

F I N I S.